

In obitvm viri amplissimi Gualtheri Petri Boudaan

Henricus Bolt

bron

Henricus Bolt, *In obitvm viri amplissimi Gualtheri Petri Boudaan*. Z.p., z.j. [1781]

Zie voor verantwoording: http://www.dbnl.org/tekst/bolt005inob01_01/colofon.htm

© 2006 dbnl



**In obitvm viri amplissimi Gualtheri Petri Boudaan, I.V.D.
*Civitatis Amstelaedamensis cum maxime consulis & senatoris, Indiae
Orientalis moderatoris, & illustris Athenaei ac Gymnasii curatoris.*
Defuncti D. III. Januar. MDCCLXXXI.**

Siccine continuo mea Musa vacare dolori
Cogitur, & meritis solvere justa viris?
Fuderat Hooftiadae vix moesto in funere fletus,
Sparserat & lacrimis ossa sepulta piis.
Boudani quum morte, novo jam percita luctu,
Conspiciat madidis busta suprema genis.
Et certe quem flere pudet? cui patria cordi est,
Et libertatis non temerandus amor.
Talis inhaereat ignavae socordia genti.
Amstelio nunquam convenit illud opus.
Ille Magistratus merito dignatur honore,
Et tacita secum religione colit.
Publica qui semper praeponunt commoda privis,
Civibus & norunt invigilare suis.
Qui patriae leges, proavitaque jura tueri
Consueti, renuunt jussa minacis Heri.

Consilio illustres qui curant, invidus hostis
In sua ne nostras horrea condat opes.
Nec famulas patiuntur aquas servire Britanno.
Libera Belgarum puppibus unda patet.
Quid, Rutupine, tibi contendis in aequora juris
Et leges vasto scribere posse mari?
Xerxis ad exemplum Neptuni terga flagellas,
Aequoreisque infers verbera vana Deis.
Illius at fastum communi Graecia classe
Contudit, & magnas strenua fregit opes.
Et tua senserunt ignes navalia nostros,
Nec secere aliquam ferrea vincla moram.
Per glandes ferrumque ruit Brakelia virtus,
Quaque ruit, gelidam spargit ubique necem.
Nec magnos jam tolle animos, quod perfidus ungue
Tartareo spoliis, dilacerasque rates.
Incustodito obrepit sic raptor ovili,
Sic trahit Herculeas Cacus in antra boves.
Quo non progredieris? vestrae petulantia linguae
Evomit in nostros verba canina patres.
Et ceu dgeneres clara de stirpe Cethegos
Affines foedae proditiones agit.
Poscit & ad turpem furiosa mente catastam
Insignes meritis & probitate viros.
Sed furor hic Britonum proprius; jam tempore prisco
Regali poterant tinguere caede manus.

At bene, quod nostri prudentia cauta Senatus
 Protegat innocuos, quo decet ore, reos.
 Et quisquam, Amstelio cui sanguine vena calescit,
 Et patriae tangit non simulatus amor;
 Et quisquam leges ausit mihi dicere flendi,
 Consulis & tanti per decus ire vetet?
 Adspicis, ut pulla Libertas publica veste
 Procedat, tremulas imbre rigante genas.
 Mascula Religio, nullo circumlita fuco,
 Ad defensoris lugeat ossa sui.
 Contrahat utque suas trisstis Cyllenius alas,
 Quis solet Eöas laetus adire domos.
 Dum pia Musa suis Boudani nomina fastis
 Inferit, aeternis ex adamante notis.
 Nil desperandum tamen est. Deus arbiter aequi
 Vivit, et ex alto facta nefanda videt.
 Ille animos in bella dabit, viresque Batavis,
 Nec sinet Hollandos subdere colla jugo.
 Arcuit ille hostes olim, quum Texelis, horâ
 Non solitâ, refluxas currere vidit aquas.
 At tu, sancte Senex, cujus nunc flemus ad urnam,
 Accipe tristitiae pignora fida meae.
 Sufficiet; tenui Britones si carmine discant.
Amstellius Proceres Numinis instar habet.

HENR. BOLT.